



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

40 Novitiatus tempore, excepto victu & vestitu ex bonis Novitij, vel  
Novitiae monasterio nihil tribui potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

cognita potest prorogari, *ut in d. decis. super c. 16. §. renunciatio facta.*

40 Ante professionem ꝑ̄ excepto victu, & vestitu novitii, vel novitiæ illius temporis, quo in probatione sunt, quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejusdē tribui non potest, nec hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel majorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, & si discesserit id facile recuperare non possit. Ideò sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, id est prohibutum. Et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant, Episcopus etiam per censurâ Ecclesiasticas, si opus fuerit, restituere recusantes compellere debet, *ut eodem. cap. 16. post med. §. sed neque. de regul. & Mon. & dicta anathematis pœna non incurritur ipso facto, nec absolutio est Papæ reservata, ut fuit à sacra congregatione decisum super eod. cap. in eisdem decis. §. sub anathematis.*

41 Professione ꝑ̄ facta, nemini regularium, tam virorum, quàm mulierum licet bona immobilia, vel mobilia cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis quæsitâ, tanquàm propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori sunt tradenda, conventuique incorporanda. *Conc. Trident in cap. 2. de regu.* Moniales verò quicquid singulæ quoquo titulo acquisierint, totum rectâ ad Abbatisâ manus deferri oportet, etiam quòd suis manibus laborando acquirunt, vel eis à parentibus donatur, etiam quòd Monasterium esset pauperimum, Abbatisâ, tamen in primis ex hujusmodi acquisitionibus sub arbitrio necessitatibus illius Monialis, cujus opera,

vel contemplatione fuerint parta subvenire poterit; & quòd reliquum erit, in communem usum totius Monasterii convertere debet, & curare, ut victus monialium quotidianus sit communis, & in coctura, & in usu. *Congreg. Concil. super eod. c. 2 in decis. sub titul. Toleran. & in §. incorporentur.*

42 Prætendens autem per ꝑ̄ vim, & metum ingressum fuisse religionem, aut ante ætatem debitam emisisse professionem, vel quid simile, si velit quacunque de causa habitum dimittere, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non est audiendus, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Ordinario, & suo Superiore. *Concil. Trident. cap. 19. sess. 25. eod. tit. de regul. & mon.* Quinquennium verò incipit à die professionis, intra quod si minime reclamatus, & dimissus fuerit, eo elapso, etiam quòd postea allegaret vim, & metum semper durasse, non est audiendus, nisi intra quinquennium à die ejusdem professionis quis reclamasset, quo casu etiam post quinquennium erit audiendus, & ita censuit sacra congregatio Concilii, cujus sententia fuit à Gregorio XIII. approbata, *ut decis. super eod. cap. 19. in ver. Gregorius XIII. approbavit, & in ver. Gregorius XIII. audita.* Causæ autem cognitio hoc casu in secunda, & tertia instantia Ordinatio, & Superiori ejusdem religionis vicinioribus conjunctim committi debent, *ut in eisdem decis. super eod. cap. 19. §. & Ordinario.* Quòd si ante causæ cognitionem habitum propria auctoritate quis dimiserit, nullatenus ad allegandū quamcumq; causam est admittendus, sed,